

versis, absque Conciliis dirimi possunt, nempe à Summo Pontifice, et Pastoribus per orbem dispersis, quorum eadem est, etiam extra Concilia, autoritas; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Verum quidem est Summo Pontifici cæterisque Ecclesiæ pastoribus, eandem esse ea definiendi autoritatem, quæ ad fidem ac mores pertinent, sive dispersi, sive in Conciliis congregati sint: certum est etiam non semper opus esse Conciliis, maxime cum Ecclesia pace et tranquillitate fruatur; sed aliquando Ecclesia perturbationibus, dissidiis, schismatibus ita agitur, vel tanta est scandalorum multitudo, tantaque morum corruptela, ut grassantibus malis non aliud suppetat remedium, quam Conciliorum celebratio: in luctuosis scilicet his temporibus, necesse est ut Ecclesia suam autoritatem maximo cum splendore exerceat, et modo ad persuadendum aptissimo: atqui, licet Ecclesia semper sit veritatis columna et firmamentum, nulli tamen ipsius autoritas splendidius elucet, quam in Conciliis. Longè enim vividius fidelium mentes afficiunt: et commovent numerosi Episcoporum cætus, et lata post communem definitionem judicia, quam Pastorum seorsim sumptorum, decreta: in comitiis enim Ecclesiasticis, Pastores singuli, aliorum scientiâ et experienciâ utentes, liberius et accuratius quæstiones excutunt, faciliusque ea remedia detegunt, quibus vitia et scandala tollantur.

Præterea ad dirimendas controversias, aliquando necessaria esse Concilia, non semel confessi sunt ipsimet Summi Pontifices. Innocentius I. v. g. de contumeliis et iniquis insectationibus, quibus vexabatur sanctus Chrysostomus, verba faciens ad Clerum Constantinop. sic interrogat: *Sed quid adversus ista in præsentem faciemus? necessaria erit Synodi cognitio quam jampridem congregandam esse diximus: ea quippè sola est, quæ tempestates he-*

jusmodi sedare possit. (Oper. S. Chrysost. tom. 3. nov. edit. pag. 524.)

Denique, si propter eam quam habent Pastores dispersi autoritatem, Concilia nunquam sunt necessaria, nequicquam igitur ab Apostolis Spiritu Divino afflatis instituta sunt; nequicquam innumera huc usque, cum immensis laboribus et impensis, celebrata fuerunt Concilia; inanes sunt de cogendis Synodis, tot sacri Canones; ridiculæ prorsus sanctorum Patrum querelæ, de Conciliorum neglectu et intermissione; iniqua decreta, quibus in Episcopos, sine gravi causa à Synodis absentes, graviter animadvertitur: atqui hæc omnia nemo sanæ mentis crediderit; ergo fatendum est, aliquando necessaria esse Concilia, nec posse omnes controversias, à Summo Pontifice, Pastoribusque dispersis, satis efficaciter dirimi et componi.

CAPUT V.

De Conciliorum autoritate.

NON eandem esse Conciliorum particularium; ac generalium autoritatem, apud omnes in confesso est. Particularia enim, etiam in his quæ ad fidem pertinent, falli posse, nemo est qui non fateatur; cum tamen ex innumeris Conciliis particularibus, paucissima sint quibus errare contigerit, ipsorum autoritas non levis est ponderis; longè autem graviorem obtinent Concilia generalia, de quibus hic potissimum agimus. Expendemus, 1º. utrum infallibilis sit Synodorum generalium autoritas; 2º. an Concilia verè judicialem, legiferamque autoritatem habeant; 3º. quænam sit illius autoritatis origo.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Conciliorum generalium autoritas sit infallibilis.

Synodorum generalium, in definiendis fidei morumque dogmatibus, autoritatem exploramus. Qua in re graviter peccarunt Lutherus, Calvinus et eorum sequaces, qui nullam, aut penè nullam, in Conciliis, etiam universalibus, autoritatem agnoscunt: eò temeritatis istam ob causam devenère, quòd errores suos priscis in Conciliis damnatos, et in Tridentino jamjam damnandos viderint: contra quos sit.

PROPOSITIO.

Concilium verè œcumenicum in definiendis fidei morumque controversiis falli non potest.

Prob. 1^o. Concilium generale, sive œcumenicum, universam repræsèntat Ecclesiàm, omnemque ejus autoritatem habet: enimverò, ut Concilia sint verè generalia, necesse est omnes orbis christiani Episcopos ad ea vocari, et per se, vel legatos suos, eo numero convenire, et ita se gerere, ut suam suarumque Ecclesiarum, et Præsulum absentium fidem referant; nemo autem non videt hoc satis esse, ut universa, quacumque sese diffundit, Ecclesia repræsèntetur. Hinc Martinus V in Concilio Constantiensi, jubet redeuntes Hæreticos interrogari, *utrum credant quòd Concilium generale universam repræsèntet Ecclesiam.* (*Conc. Labb. Tom. 12. pag. 268.*) Hinc etiam Augustinus asserit plenarii Concilii sententiam esse totius Ecclesiæ consensionem. (*Lib. 1. de Bapt. cap. 18. n. 28.*) Neque verò hæc appella-

tio posteriorum temporum inventum est, quippè quæ seculo tertio jam vulgaris erat, ut constat ex his Tertulliani verbis: *Aguntur.... certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ et aliora quæque in commune tractantur et ipsa repræsèntatio totius nominis Christiani, magnâ veneratione celebrantur.* (*Lib. de sejun. cap. 13.*) Quin ergo per Concilium verè œcumenicùm universa referatur Ecclesia, dubitari non potest: atqui Ecclesia in definiendis fidei, morumque dogmatibus falli non potest, ut probavimus; ergo nec Concilium verè œcumenicum.

2^o. Hæc fuit Patrum omnium sententia, ex quibus nonnullos appellasse satis erit. Sanctus Ambrosius: *A Concilio Nicæno, inquit, nec mors, nec gladius me poterit separare.* (*Ep. 21. n. 14. ad Valent. Imperatorem.*) Athanasius: *Quæ illic (in Synodo Nicæna) promulgata fides est, tum ad impietatem omnem evertendam, tum ad..... fidem asserendam sufficit.... Quid est (igitur) quod nonnulli disceptare, ac quæstiones movere ausint?* (*Epist. ad Epictetum, n. 1.*) Augustinus ait, quæstionem de Hæreticis iterum baptisandis tandiù dubiam fuisse et ancipitem, donec plenario totius orbis Concilio firmaretur. (*Lib. 1. de Bapt. cap. 7. n. 9.*) Leo Magnus: *Dominus quæ nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis ir-retractabili firmavit assensu; ut verè à se prodiiisse ostenderet, quòd à prima omnium sede prius formatum, totius orbis Christiani judicium recepisset.* (*Epist. 93 ad Theodorum, cap. 1.*) Gregorius Magnus: *Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia (generalia) suscipere et venerari me fateor.... quantum quoque pariter veneror.* (*Epist. ad Joannem Patriarch. Constantinop. Tom. 11. pag. 515.*) Atqui ridicula prorsùs et inepta essent laudata hæc Patrum testimonia, nisi persuasum habuissent, Concilia generalia in definitionibus quæ ad fidem moresque pertinent, errare non posse.

3°. Semper ab Ecclesia ut Hæretici habiti sunt, qui Conciliorum generalium definitionibus ad fidem spectantibus acquiescere recusarunt; sic, post Concilium Nicænum, *Ariani*; post Constantinopolitanum I, *Macedoniani*; post Ephesinum, *Nestoriani*; post Chalcedonense, *Eutichiani*; post Constantinopolitanum tertium, *Monothelita*: atqui haberi non potuissent ut Hæretici, si in fidei definitionibus falli possent, aut fallere Concilia generalia: non enim hæreticus est, qui judiciis errori obnoxiiis, et rei incertæ negat omnimodam adhibere.

4°. Vel Concilium œcumenicum in dijudicandis fidei quæstionibus, ab errore immune est, vel nullam est in Ecclesia tribunal finiendis controversiis, et veritati à mendacio, sine erroris periculo, discernendæ idoneum; enimverò jam probavimus, neque Scripturam, neque spiritum privatum, esse posse supremum controversiarum iudicem; nequicquam etiam confugas ad Ecclesiæ dispersæ iudicium: si enim ab erroris periculo tuta non sit Conciliorum generalium autoritas, in quibus tamen quæstiones dirimendæ, et facilius et diligentius ad traditionis regulam exiguntur, diligentiusque excutiuntur, quis *infallibilitatis* privilegium Ecclesiæ dispersæ poterit adscribere, quod congregatæ denegat? Necesse igitur erit ut quæstiones incertæ, et sine iudice semper maneant: atqui illud dicere nefas est, et injuriosum Christo, qui Ecclesiæ suæ nullum adversus hæreses præsidium satis firmum providisset; ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Falli possunt homines humano modo agentes, humanæque industriæ veritatem quærentes: atqui hujusmodi sunt Pastores, etiam in Conciliis generalibus congregati; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Falli possunt homines sibi pro-

sus relictis, et sine divini auxilii promissione, conc. maj. secus, neg. maj.

Cùm Pastores in Conciliis, non nisi testes, custodes, iudicesque sint, non verò autores fidei, quæ in verbo Dei scripto, vel tradito continetur, diligenter inquirent necesse est et Scripturæ sensum, et antiquam constantemque sanctorum Patrum doctrinam, quod sine studio, humanæque industriæ, fieri non potest; sed humanus ille labor non impedit, quominus Synodis generalibus sua stet *infallibilitas*: quis enim dixerit falli potuisse Apostolos in Concilio Hierosolymitano congregatos? Atqui tamen ab iis *magna acquisitio facta est*. Nonne Scriptores quidam sacri industriam, meditationem laboremque adhibuerunt? Atqui tamen per ipsorum ora loquitur Spiritus Sanctus.

Scilicet noluit quidem Christus, Pastores in Concilio congregatos, desinere esse homines, eosque à scrutandæ veritatis studio et labore eximere; at ipsis efficaciter ad futurum se promisit his verbis: *Euntes docete omnes gentes... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* (*Matth. 38. v. 19 et 20.*) Quibus verbis Christus, non singulis Pastoribus, sed Pastorum universitati et unanimitati morali, illud auxilium promisit, cujus ope quæ ad fidem pertinent, sine errandi periculo docerent, ut alibi exposuimus.

Inst. Si Conciliorum generalium definitiones, ex occulta certa que Spiritus Sancti ope, et ductu fiant, nullo modo à Scripturis discrepant: atqui tamen illud absurdum est; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Licet enim quæ circa fidem et mores à Conciliis generalibus definiuntur, ejusdem sint certitudinis, ac ea quæ in Scripturis continentur, inter Scripturas tamen et Conciliorum œcumenicorum Decreta, plurimum est discriminis: nam 1°. Scriptoribus sacris divinitus afflatis, nova, saltem ut plurimum, affulsit re-

velatio : non item Pastoribus synodicè congregatis, quibus efficaciter quidem adest Spiritus Sanctus, ut veritatem revelatam certò detegant et exponant; at ipsis nihil novi revelat. Omnia enim mysteria fideique dogmata Apostolis revelata sunt, ut ipsis Christus sic promiserat : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* (*Joan. cap. 16. 13.*) Definitiones igitur Conciliorum per novam revelationem non fiunt, quamquam veritates revelatas contineant et explicant.

2^o. Scriptores sacri ne minimis quidem in rebus falli possunt, quia eos inter scribendum semper dirigit et movet Spiritus Sanctus; Pastoribus autem in Concilio congregatis specialiter non adest, nisi in condendis definitionibus, quæ ad fidem vel morum doctrinam pertinent; quapropter in aliis rebus, in proferendis, v. g. Patrum testimoniis, in ratiociniis quibus fidei dogma adstruunt, certam fidem non faciunt; imò errare possunt; ergo inter Scriptores sacros, et Pastores in Synodo generali congregatos, inter Scripturas et Synodorum etiam universalium Decreta, plurimùm intercedit discriminis.

Obj. 2^o. Ea Concilia falli possunt, quæ circa fidem et mores non semel errârunt : atqui Concilia generalia circa, etc. sic, v. g. Lateranense quartum et Lugdunense primum ann. 1245, ini-
 quas cruce signatorum (*des Croisés*) expeditiones, quarum infelix adeò fuit exitus, approbârunt; Lateranense quidem in Albigenses, Lugdunense autem in Sarracenos, qui terram sanctam, sive Palæstinam, occupabant; quin etiam Lugdunense ann. 1245 jus sibi arrogavit Imperatorem Fredericum secundum *deponendi*; indebitam verò autoritatem sibi attribuere, nonne errare est in jure, seu dogmate?

Resp. Neg. min. 1^o. Enim ex cruce signatorum expeditionibus, sive justæ fuerint, sive non, nihil inferri potest, quod Concilium generale,

in suis circa fidem aut morum doctrinam definitionibus, aliquando errasse probet : quamvis enim Ecclesia, quam representat Synodus œcumenica, in generalibus morum præceptis errare nequeat; v. g., quamvis impediunt Christi promissa, ne pronuntiare possit bellum injustum suscipiendum esse; in particularibus tamen causis decipi potest, ubi de hoc vel illo singulari bello agitur. Hujus enim injustitia, vel æquitas, à factis et circumstantiis particularibus pendet, quarum cognitione carere Ecclesiam nihil vetat, et in quibus expendendis ab omni errore, ut jam diximus, vi promissionum Christi non liberatur; ergo etiamsi improbandum esset bellum, sive contra Albigenses, sive contra Sarracenos, ad recuperandam terram sanctam, susceptum, quod hic non expendimus, nihil concludi jure potest, quod infallibili Conciliorum generalium autoritati noceat.

2^o. Quod spectat ad sententiam contra Imperatorem Fredericum II. latam, respondeo hac in parte vere œcumenicum non esse Concilium Lugdunense primum : in eo enim capite verè œcumenica non est Synodus, quod universa non recepit Ecclesia : atqui sententiam, quæ suam Frederico dignitatem auferebat, non recepit, nec approbavit universa Ecclesia; non Germania tota, cum in ea principes et nobiles non pauci Frederico adhæserint; non Italia tota, ubi Gibellini qui Imperatoris partes tuebantur, acerrimum contra Guelphos factionij Papæ addictos bellum gerebant, ipsis Episcopis varias in partes abreptis; non Gallia, nec Anglia, teste Matthæo Paris; (*ad annum 1245.*) ergo Concilium Lugdunense hæc in parte non fuit verè œcumenicum, deficiente nimirum Ecclesiæ universalis approbatione.

Præterea, ad Concilium œcumenicum, ut diximus, requiritur libertas : atqui Patribus Lugdunensibus, in eâ de quâ agitur re, defuit libertas necessaria, ob terrores ipsis à Summo Pontifice

incussos. Timore effeminati, inquit Matthæus Paris (*ibid.*) *cuidam chartæ de sententia depositionis in Imperatorem latâ apposuerunt omnes Prælati signa sua.*

Denique adeo certum est Patres Lugdunenses, vero liberoque consensu prædictam sententiam non approbasse, ut eam suo tantum nomine inscripserit Innocentius IV, his verbis: *Sententia contra Fredericum imperatorem ab Innocentio Papâ IV, in Concilio lata, sacro præsentè Concilio (Conc. Labb. Tom. 11. part. 1. pag. 640.) Si ex communibus, liberisque Patrum suffragiis pronuntiata fuisset, cur de illorum consensu nulla fit mentio? Cùm tamen in aliis Decretis exprimitur, v. g., in subsequenti, quod ad terræ sanctæ expeditionem spectat hoc scilicet modo: Definientes, sacro approbante Concilio, ex communi Concilii approbatione statuimus. (*Ibid.* pag. 654 et 655.) Il faut toutefois observer, inquit D. Fleuri, que dans le titre de la sentence, le Pape dit seulement, qu'il l'a prononcée en présence du Concile; mais non pas avec son approbation, comme dans les autres Décrets. (*Hist. Ecclés. 17. liv. 82. pag. 315. Edit. in-4°.*) Hinc Fredericus, non de Concilio, sed de solo Summo Pontifice conqueritur, ut patet ex ejus Epistolâ ad Regem Angliæ, quæ legitur apud Matthæum Paris (*ad annum 1246.*) hinc autores, qui hujus facti historiam referunt, illud soli Innocentio, non autem Concilio, tribuunt *Fredericus Imperator*, ait Trithemius Abbas, (*ad annum 1245.*) *in Concilio Lugdunensi à Papâ Innocentio citatus, à Cæsareâ majestate deponitur, et omni dignitate privatur; ergo Concilium Lugdunense, hoc saltem in capite, non fuit œcumenicum, quia defuit in suffragiis libertas necessaria.**

Obj. 3°. Sanctus Augustinus asserit, ipsa Concilia plenaria sæpè priora à posterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat. (*Lib. 2. de Bapt.*

Bapt. cap. 3.) Atqui non ita loqueretur S. Doctor, nisi Concilia, etiam generalia, habuisset ut errori obnoxia; ergo, etc.

Resp. 1°. Ab æquitate et ratione prorsus alienum esse, obscuro quodam loco, ubi scriptor mentem suam non satis explicat, abuti ab ea refellenda, quæ in toto opere suo perspicue adstruit: atqui Sanctus Augustinus in septem libris de Baptismo, et in omnibus aliis quos contra Donatistas scripsit, infallibilem Ecclesiæ, Conciliorumque generalium autoritatem apertissime proficitur. Sic enim asserit post laudata in objectione verba: *Nec nos ipsi tale aliquid, (id est, valere Baptismum ab Hæreticis datum) auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima autoritate firmati, cui et ipse (Cyprianus) sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata, et declarata per plenarium Concilium solidaretur: (n. 5.) atqui hæc verba manifeste declarant, persuasum habuisse sanctum Doctorem, Concilium plenarium in definiendis fidei quæstionibus, nulli subjacere erroris periculo.*

Resp. 2°. Augustini verba plerique Theologi intelligunt de iis quæ ad disciplinæ sanctiones pertinent. Ait enim S. Doctor tunc plenaria Concilia emendari posse, *cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat:* atqui hæc verba, inquit Theologi, de iis accipi non possunt quæ ad fidem spectant; siquidem horum cognitio deduci nequit à rerum experimento, sed à verbo Dei tantum, vel scripto, vel tradito; objectus igitur Augustini locus intelligi non debet, nisi de emendatione quæ ad disciplinæ decreta pertineat. Aliquando enim contingit ut disciplinam, quamvis prudenter institutam, abrogare necesse sit, mutata rerum et temporum conditione.

Quibusdam autem Theologis non videtur hæc interpretatio satis ad rem pertinere; eo quippe

in loco, inquit, validum esse Baptismum ab Hæreticis datum, propugnat S. Doctor, et Donatistarum pertinaciam refellit. Il scilicet S. Cypriani auctoritatem, Conciliaque ab eo celebrata ambitiose jactabant. Respondet Augustinus mirum esse non debere, si in quæstione admodum involuta erraverint et Cyprianus, et Synodi quas habuit; eas potuisse à subsequentibus Conciliis, postmodum *eliquata veritate*, emendari, cum ipsamet plenaria Concilia sæpe à posterioribus corrigantur. Quæ verba, inquit ii Theologi, de rebus ad disciplinam spectantibus intelligi nequeunt; alioquin exemplum illud non esset controversiæ accommodatum, quæ inter Catholicos et Donatistas movebatur, utrum scilicet valeret Baptismus ab Hæreticis datus. Hæc enim quæstio ad fidem pertinebat.

Resp. 3^o. Quandoquidem loquitur Augustinus de re quæ *sæpe* acciderit, ad ea Concilia videtur spectasse, quæ ex toto orbe congregata, propter Hæreticorum fraudes et libertatis defectum, infastum habuerunt exitum. Ejusmodi sunt Synodus Ariminensis, et ea quæ apud Seleuciam eodem tempore coacta fuit. Quæ autem in iis Conciliis per vim aut fraudem facta fuerant, ea posterioribus Conciliis et Ecclesiarum auctoritate emendata et recissa sunt, nec ullum propterea detrimentum passa est ineluctabilis Conciliorum auctoritas; neque enim inter firmissima Synodi Œcumenicæ decreta recensentur, nisi ea quæ concordissima Ecclesiæ universæ auctoritate constituta sunt: ejusmodi verò non fuere Ariminensis Concilii iudicia. Ibi enim receptam fidei confessionem, utpote ambigam, varii varie interpretabantur; inter eos proinde nulla erat doctrinæ consensus. Quapropter cum Episcopi Catholici, qui in eam Synodum convenerant, Hæreticorum fraudes detexissent, ipsoque rerum usu et eventu comperissent, non ancipites modo, verum et noxias esse fidei confessiones quibus incauti subscripserant,

quod imprudenter factum fuerat, emendarunt. Eo spectare videntur Augustini verba: *cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat.*

Inst. Ille persuasum habet falli posse Concilia generalia, qui Concilii Nicæni auctoritatem rejicit: atqui Augustinus, etc. hæc enim habet: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminensi proferre Concilium; nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris;* (lib. 2. contra Maximinum, cap. 14. n. 3.) ergo, etc.

Resp. Neg. min. Concilio enim Nicæno prudenter non uti, profectò non est illius auctoritatem rejicere: atqui non aliud agit sanctus Doctor. Scilicet cum Maximinus Nicæno Concilio opponeret Ariminense, Augustinus, ut sapiens disceptator, utrumque Concilium seponit, ne cogeretur in prolixiorē sese demittere controversiam: ostendendum enim fuisset, quantum interesset discriminis Nicænum inter Synodum, et Ariminensem; probandam aliam esse legitimam, aliam autem vitiosam: quæ omnia sine longa et operosa disquisitione fieri non potuissent. Certus igitur sanctus Doctor, se ex una Scriptura posse adversarium vincere, et quidem compendiosius, Scripturæ non Concilii Nicæni, auctoritatem adhibet. Illam autem Synodum ab eo rejectam non fuisse, demonstrant hæc ipsius verba. *Hoc est illud omission, quod in Concilio Nicæno, adversus Hæreticos, Arianos, à Catholicis Patribus veritatis auctoritate, et auctoritatis veritate firmatum est.* (Ibid.)

Obj. 4^o. Concilium Tridentinum, licet verè Œcumenicum, à multis Ecclesiis non receptum fuit, neque apud nos Gallos huc usque promulgatum: quis vero istud conciliet cum infallibili et suprema auctoritate quæ Conciliis generalibus adscribitur.

Resp. Concilii Tridentini definitiones circa fidem à Catholicis omnibus Ecclesiis unanimi consensu admittuntur. A Gallis vero non recepta sunt

nonnulla hujus Synodi circa disciplinam decreta, quæ nostris consuetudinibus antiquissimis adversantur.

Obj. 5°. Hæc verba S. Gregorii Nazianzeni ad Procopium scribentis: *Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam: quoniam nullius Concilii finem lætum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem et incrementum haberit.* (Edit. Lipsiæ 1690. pag. 814. tom. 1.) ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Ibi loquitur S. Gregorius ratione habita temporis quo scribebat, conc. loquitur absolute et generatim, nego ant.

Porro S. Gregorius eo scribebat luctuoso tempore, quo multæ sub Constantio Imperatore celebratæ fuerant Synodi quæ Arianorum impietati faverant, quales sunt Seleuciensis, Tyriensis, Ariminensis, Mediolanensis, Smyrniensis, etc. de infausto hujusmodi conventum exitu conqueritur S. Doctor. Ad quoddam igitur simile Concilium à Procopio Imperatoris nomine invitatus, inter alias excusationes istam adhibet, quod nullam viderit Synodum quæ ad finem prosperum perducta fuerit, inter eas scilicet in quibus prævaluerat Arianorum factio; de aliis autem Conciliis et præsertim verè Ecumenicis, non loquitur S. Doctor. Numquid enim infelicem exitum habuit Nicænum I. quod ipse magnis laudibus commendat? (Orat. 2.) Numquid malum in finem recidit II Synodus generalis Constantinop. cujus ipse pars maxima fuit, et quæ Spiritus Sancti Divinitatem contra Macedonianos asseruit?



ARTICULUS II.

Utrum Concilia veram legiferamque et judiciale[m] auctoritatem habeant.

Duplex distinguitur auctoritas, sive judicandi potestas; alia legifera sive *judicialis*; alia *consilii* tantum. Legifera et judicialis dicitur auctoritas, quæ alios vim obligandi habet, pœnasque potest in transgressores decernere; talis est ea quæ pollet Magistratus in Comitibus civilibus. Auctoritas *consilii* illa est quæ doctis et peritis competit, ut Jurisconsultis in rebus civilibus, et Theologis in rebus sacris, manifestum est veram non esse proprieque dictam hanc auctoritatem; siquidem repugnantibus pœnas infligere non potest. Negant Protestantes veram, judiciale[m] Conciliis auctoritatem competere, voluntque eorum decreta, non instar legis proprie dictæ, sed instar consilii tantum habenda esse; adeo ut, inquit Grotius, non alia sit Ministrorum Ecclesiæ potestas quoad animam, quam Medicorum quoad corpus.

Præ oculis vero semper habendum est, eam quam tribuimus Ecclesiæ leges ferendi, rebellesque puniendi potestatem, extra rerum spiritualium limites non excurrere, ad animamque, non autem ad corpus, pertinere.

PROPOSITIO.

Concilia veram et judiciale[m], non autem consilii tantum, auctoritatem habent.

Prob. 1°. Ea in Conciliis et Ecclesia admittenda est auctoritas, sine qua dirimi non possunt controversiæ de rebus ad Religionem pertinentibus; alioqui Deus Ecclesiæ suæ paci et tran-

quilitati non satis providisset: atqui nisi Concilia, veram, legiferam et judicialem habeant auctoritatem, qua perturbatores coercere, et in officio continere, transgressoresque plectere possint, tunc dirimi non poterunt controversiæ de rebus ad Religionem spectantibus; et unicuique licitum erit, credere et agere, prout libuerit, perpetuisque Ecclesiæ dissensionibus vexabitur; quo pacto igitur dicere potuisset Augustinus? *Conciliorum in Ecclesiæ est saluberrima auctoritas, quibus Ecclesiæ negotia terminantur.* (Ep. 54. ad Januarium, n. 1.)

Prob. 2^o. Eam Concilia auctoritatem habent, quam semper exercuerunt; alioquin omnia rejicienda sunt, utpote quæ indebitam sibi arrogaverint potestatem, quod absurdum est: atqui Concilia, vel à primis Ecclesiæ incunabulis, legiferam, judicialem, nec Concilii tantum auctoritatem semper exercuerunt: nam judicare, præcipere, Leges, Canones, Statuta condere, sententias pronuntiare adversus rebelles, pœnas decernere gravissimas, pertinaces anathemate percutere, nonne totidem sunt judicialis auctoritatis actus, totidemque insignia? atqui ita semper se gesserunt Concilia, ut constat ex eorum collectionibus; sic in Concilio Apostolico, non ait Jacobus, *ego consulo*, sed *ego judico*. *Quid sibi vult*, ait Chrysostomus, *illud judico, id est, cum potestate dico rem ita esse!* (Homil. 33. n. 2. in Act.) Ejusdem Concilii decreta, Paulus non vocat monita vel consilia, sed *præcepta Apostolorum.* (Ibid.) Ergo etc.

Prob. 3^o. Quam auctoritatem Conciliis denegant Protestantes, eam suis Synodis liberaliter largiuntur suamque doctrinam sua agendi ratione everunt: ut enim alias Synodos omittam, quis nesciat famosam Synodum Dordracenam, excommunicationis sententiam adversus illos Theologiæ Professores tulisse, qui decretis Synodicis obtemperare recusarunt? ita vero se gerere, nonne est Synodorum suarum decretis veram judicialemque

auctoritatem adscribere? atqui ridiculum prorsus est, eam Pastorum Conciliis auctoritatem detrahere, quæ Laicorum hominum conventibus tribuitur.

Dices: Sic docet S. Chrysostomus: *Exteri quidem judices, facinorosos homines qui secundum leges capti sunt, magna cum auctoritate cohibent, ac vel invito à moribus pristinis arcunt. Hic autem non vi adactum, sed persuasum hujusmodi hominem oportet ad meliorem frugem revocare. Non enim tanta nobis facultas à legibus datur ad delinquentes coercendos.* (Lib. 2. de Sacerd. pag. 374. n. 3. Tom. 1.)

Ergo, juxta S. Doctorem, Ecclesiæ Pastores auctoritatem non habent imperandi, coercendi, sed tantum suadendi.

Resp. Neg. conseq. Id unum docet Chrysostomus, scilicet non eam esse Ecclesiæ Pastoribus auctoritatem, quæ magistratibus civilibus, qui tormentis et suppliciis legum violatores coercere possunt, ad easque observandas invito adligere; quod præstare nequeunt Ecclesiæ ministri: istis autem nequaquam denegat veram potestatem imperandi, decernendi, fideles pœnis spiritualibus, sive censuris Ecclesiasticis, in officio continendi: quinimo ipsis auctoritatem hanc vindicat, tanquam jure divino fundatam: *Nemo vincula contemnat ecclesiastica: non est enim homo qui ligat, sed Christus, qui nobis dedit hanc ligandi potestatem.* (Hom. 4. in Epist. ad Hebr. n. 6. pag. 49. tom. 12. Edit. Bened.)

ARTICULUS III.

De Conciliorum auctoritatis origine.

Hic duo sunt extrema pariter vitanda: aliud Protestantium, qui contendunt auctoritatem regiminis, à Christo primum Populis et Principibus Christianis conferri, deinde Episcopos, et Con-

alia, suam à Populo, Principibusque Christianis, auctoritatem accipere; aliud Theologorum, qui dicuntur *Ultramontani*: volunt scilicet, Petrum Apostolum, cujus successor est Summus Pontifex, à Christo constitutum esse Monarcham, et supremum Ecclesiae Principem, à quo ceteri Episcopi suam mutuuntur auctoritatem; quemadmodum in statu Monarchico et hæreditario, Magistratus à Rege habent quidquid auctoritatis exercent. Hinc concludunt Episcopos esse Vicarios duntaxat Romani Pontificis, et Concilia ab eo solo suam auctoritatem ita emendicare, ut nullum ratum legitimumque esse possit, nisi Romani Pontificis auctoritate congregatum sit, et confirmatum.

P R O P O S I T I O I.

In rebus fidei et merè spiritualibus, suam Concilia auctoritatem, nec à Populo, nec à Principibus habent.

Prob. 1^o. Ab illis repetenda non est Conciliorum auctoritas, qui nullam habent in rebus merè spiritualibus auctoritatem: atqui Populus et Principes nullam, etc. Cum enim tota Ecclesiae constitutio pendeat à libera Christi Institutoris voluntate, ad eos solos pertinet in rebus merè spiritualibus auctoritas, quibus eam Christus promisit, et contulit: atqui Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus, Christus, etc. Numquid enim Populo, vel Principibus, dictum est à Christo: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; euntes ergo, docete omnes gentes baptisantes eos in nomine, etc. docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis!* (*Math. 28. v. 19. et seq.*) Numquid Populo vel Principibus dixit Paulus, fidus ille voluntatum Christi interpres: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam ac-*

quisivit sanguine suo! (*Act. 20. 28.*) Hæc profecto, aliaque similia Scripturæ testimonia de Laicis, quicumque sint, intelligere, interpretatio est omnibus Ecclesiae seculis incognita; ergo, etc.

2^o. Si Concilia, in rebus fidei mereque spiritualibus suam à Populo vel Principibus auctoritatem mutuarentur, jamlicitum esset à Conciliorum judiciis, ad Populi vel Principum iudicium appellare. Appellatio enim est ab inferiore ad Superiorem provocatio. Quis autem negaverit illum esse superiorem, à quo auctoritas derivatur? atqui posse quemquam jure, à Conciliorum judiciis ad Populi vel Principum tribunal appellare, res est in Ecclesia prorsus inaudita, cum agitur de fidei dogmatibus, aut negotiis mere spiritualibus; ergo, etc.

3^o. Ab eo proxime derivatur Conciliorum auctoritas, cujus nomine fieri solent ipsorum decreta; atqui nec Populi, nec Principum, sed Christi nomine, fiunt Conciliorum decreta, ut patet ex ipsorum actis; ergo non à Populo vel à Principibus, sed à Christo, suam trahit originem Conciliorum auctoritas.

At, inquit, pleraque Concilia ne exceptis quidem œcumenicis, ab Imperatoribus postularent, ut ipsorum decreta confirmarent; quæ postulatio satis probat, suam Concilia à Principibus auctoritatem deducere. Sed levissimum est hujusmodi argumentum: hæc enim fuit tunc Episcoporum mens, ut Principes Conciliorum decreta confirmando, ipsis vim Legis Imperatoris et Regis, adderent, sicque eorum executioni consuleretur efficacius; non autem eo spectabat hæc confirmatio, ut Conciliorum definitiones vim Legis Ecclesiasticæ à Principibus acciperent; siquidem Censuras Ecclesiasticas adversus contumaces prius decernunt Concilia, quarum decreta sua Principibus manifestent.

R O P O S I T I O I I.

Suam Concilia auctoritatem ab ipso Christo proximè accipiunt.

Probat^r 1^o. Ab eo suam habent Concilia auctoritatem, à quò Pastores controversiarum ad fidem et mores pertinentium iudices constituti, et regendæ Ecclesiæ Dei præpositi sunt: atquæ à Christo, etc. ut toties dictum est; ergo, etc.

2^o. Si Concilia suam à Romano Pontifice auctoritatem proximè mutuarentur, necesse esset ut eorum definitiones vim legis non obtinerent, absque Papæ consensu et approbatione; et contra, ut Papæ decreta sine Episcoporum et Conciliorum iudicio eam haberent auctoritatem, quæ ad dirimendas controversias sufficiat: atquæ neutrum dici potest. Non prius, innumera quippe sunt Concilia legitima, quæ, inconsulto Summo Pontifice, celebrata sunt, qualia fuerunt, ait *D. Ladvocat*, opere jam laudato, (pag. 419.) Laodicenum, Gangrense, Carthaginense, et multa in Galliis nostris; quæ tamen vim legis, fatentibus adversariis, semper habuerunt, licet nec ante, nec post eorum celebrationem, consultus fuerit Romanus Pontifex; ergo, etc.

Posterius etiam dici nequit, nimirum semper in Papæ definitionibus satis esse auctoritatis, ad finiendas controversias; sed opus est ut iis accedat Episcoporum auctoritas. Id non raro confessi sunt Romani Pontifices: nam Innocentius I, in sua ad Clerum Constantinopolitanum Epistola, quam supra laudavimus, asserit absque Concilio, non sufficere Romanæ sedis auctoritatem ad sedandos tumultus, qui in sanctum Chrysostomum excitati fuerant. Sanctus Leo, post damnatam in Concilio Romano Hæresim Eutichianam, à Theodosio Imperatore postulat, ut Concilium generale celebraretur, *ne quid ultra sit in fide dubium.* (*Epist.*

39. cap. 3.) Idem Doctor affirmat, non nisi Episcoporum assensu firmissimum fieri Sedis Apostolicæ iudicium: *Quæ Dominus, inquit, nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretraciabilè firmavit assensu.* (*Epist. 93. cap. 1.*) Ergo 2^o. etc. ergo, etc.

3^o. Si Concilia suam à Papa auctoritatem habeant, pro suo libitu poterit Conciliorum decreta approbare, vel rescindere, et tota Religio ab uno mortali, qui falli potest, pendeat: atquæ illud prorsus absurdum est. Quapropter sacra Facultas Parisiensis, anno 1429, fratrem *Sarrasin*, hanc quam in actu publico propugnauerat propositionem revocare cœgit: *Quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituantur, tota auctoritas dans vigorem statutis, in solo Summo residet Pontifice.* (*D. d'Argentré, Collect. Judic. part. 2. tom. 1. pag. 227.*)

C A P U T V I.

De Potestate Regia circa Conciliorum decreta.

QUÆRITUR an Conciliorum decreta, ut vim obligandi habeant, à Principibus approbari, supremorumque Senatum Tabulis inscribi debeant.

P R O P O S I T I O I.

Fidei definitiones ab Ecclesia propositæ, per se, circa Principis approbationem, vim habent obligandi.

Prob. 1^o. Quia fidei definitiones ab eo Tribunali propositæ, quod supremus et infallibilis controversiarum ad fidem pertinentium, iudex constitutum est, sine dubio per se et absque

approbatione Principis obligant: atqui Ecclesia constituta est supremus et infallibilis controversiarum, ad fidem pertinentium, iudex; ergo, etc.

2°. Quia decreta Concilii Tridentini dogmatica, veram esse fidei regulam nemo Catholicus diffidet: atqui tamen certum est ea in supremarum Curiarum Tabulas relata non fuisse. 3°. Quia, si Concilia, ut vim legis in rebus fidei, mereque spiritualibus, habeant, à Principibus Magistratibusque civilibus necessariò sint approbanda, et in supremorum Senatuum actis inscribenda, inde sequeretur Principibus, Magistratibusque civilibus, jus competere de rebus fidei, mereque spiritualibus judicandi: atqui jus illud ad ipsos non pertinere, jam demonstravimus; ergo, etc.

PROPOSITIO II.

Conciliorum, etiam generalium, decreta circa disciplinam sine Principum approbatione non obligant in iis quæ eorum auctoritati subjiciuntur.

Prob. 1°. Quia hujusmodi decreta, qualia sunt, v. g. matrimonii impedimenta, in Reipublicæ bonum vel malum, tranquillitatem vel perturbationem vertere queant: cum igitur Reipublicæ regimen Principibus à Deo commissum fuerit, ab ipsis approbentur necesse est decreta de quibus agitur, ut vim legis, ac proinde obligandi habeant. 2°. Quia juxta veterem ab Ecclesiæque approbatam consuetudinem, si quid circa disciplinam in Conciliis, etiam generalibus, definiatur quod Provinciarum quarumdam moribus non congruat, ipsarum Rectoribus liberum est, iis assensum dare vel denegare.

Quà de re nihil gravius proferri potest, quam quod de Concilio Tridentino in Gallia nostra, vel etiam in vicinis Provinciis, actum est: quamquam enim in Concilii doctrina, utpote à majoribus et

divina Traditione accepta, nobis semper probata fuerit, atque hac potissimum de causa moverentur Galliæ Præsules, ad postulandum à Regibus nostris, ut Concilium publicaretur; ita tamen omnes comparatierant, ut in ipsâ quam petebant promulgatione, excipi ea vellent, quæ in disciplinæ Tridentinæ capitibus, à moribus nostris aliena sunt: sic enim mentem suam totius Cleri Gallicani nomine aperiunt Ludovico XIII, in Comitibus Regni generalibus, anno 1615: *Præsules et viri Ecclesiastici humillime postulant, ut jubeat Majestas vestra, Concilium generale quod Tridenti habitum est, in Regno vestro publicari, ejusque statuta observari, salvis tamen Majestatis vestræ juribus, Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, privilegiisque et immunitatibus Capitulorum, Monasteriorum, etc.*

Neque mirum videri debet, quod in probandis Tridentinæ disciplinæ capitibus, modum aliquem adhiberi vellent Gallicani Præsules. Id enim nec ipse antea abnuerat Clemens VIII qui cum, inter varias conditiones promissæ Henrico IV Regi absolutionis ab hæresi, numeraret Concilii Tridentini promulgationem, quam tamen nunquam factam esse certum est, ea verba addiderat: *exceptis tamen, si quæ forte adessent, quæ reverè sine tranquillitatis perturbatione executioni demandari non possent.* Quæ diplomatis Clementis VIII verba, ann. 1595, referuntur inter litteras, legationes et negotiationes Cardinalis Perronii, (pag. 156 et 184.) ergo non sine causa dicimus Conciliorum circa disciplinam decreta vim obligandi non habere in iis quæ Principum auctoritati subjiciuntur, nisi ab ipsis approbata fuerint.

